

GUSTAVO HUGONI

I. C.

FAUSTUM DIEM VI. ID. MAII QUO ANTE X LUSTRA

SUMMOS IN IURE HONORES ADEPTUS EST

PIE GRATULATUR

GUSTAVUS HAENEL.

INEST LEGIS ROMANAE VISIGOTHORUM PARTICULA CUM CODD. MONAC. ET PHILLIPPS.
IMAGINE LAPIDE EXPRESSA.

MDCCCXXXVIII.

Quod unum maxime semper desiderabam, ut praesens Tibi gratularer diem festum, quo Tibi, Vir Perillustris, industriae, quam per decem lustra in excolenda et libris et institutione iuris prudentia posuisti, iusta praemia undique offeruntur, id cum propter gravissimas caussas facere non possem, nolui tamen committere, ut prorsus Tui immemor viderer. Nam cum quotquot doctrinae accuratioris cultores Te suspiciunt, ut principem, qui novam tractandi iuris viam aperueris, diem illum laetum omni cura et studio celebrare nitantur, mene deceat, quem praeter ceteros Tibi obstrinxisti, deteriorem videri ceteris et in suspicionem neglectae erga Te pietatis venire?

Longum est enumerare beneficia, quae inde ab illo tempore, quo Tu me recepisti inter cives almae academiae Gottingensis, in me Hauboldi literis, immortalis gloriae viri Tibi commendatum, contulisti magna. Mitto, quantos fructus perceperim cum ex scholis Tuis, in quibus admirabili ingenii acumine difficillimos iuris et romani et gallici locos explicabas, tum ex libris Tuis elegantissime scriptis, quibus tanquam parens eius disciplinae, quae versatur in illustranda iuris historia et in indagandis legum antiquarum monumentis, fontes reclusisti ignotos, — sunt mihi illa communia cum innumerabilibus aliis viris — hoc autem non possum non commemorare, quod si non comme-

morarem, ingratus essem, in patriam reverso mihi nunquam auxilium Tuum defuisse. Nam titubantem consilio adiuvisti, errantem revocavisti, de rebus meis desperantem suavissimis verbis erexisti, fessum denique hortatione incitavisti, ut, si quid in literis effecerim, quod quidem non multum esse scio, id tamen, quantulumcunque est, Tibi, Vir Magnifice, inprimis acceptum referam.

Offero igitur Tibi munusculum hoc, Legis Romanae Visigothorum, de qua nonnunquam inter nos disputatum est, editionis, quam paro, specimen, quod etsi magno Tuo nomini impar, tamen ut grati animi testimonium benevole accipias, Tibique persuadeas velim, me, quicquid in me est ingenii, id totum impensurum esse, ut dignus censear Tua disciplina Tuoque amore.

Faxit Deus Optimus Maximus, ut Te incolumem servet, Teque posthac diutissime et lumen academiae Gottingensis esse sinat et bonarum literarum ornamentum.

---

1)AUCTORITAS ALARICI REGIS.2)

IN 3) HOC CORPORE CONTINENTUR LEGES SIVE SPECIES *) IURIS DE THEODOSIANO ET 4) DIVERSIS LIBRIS ELECTAE ET 5), SICUT PRAECEPTUM EST, EXPLANATAE ANNO XXII. 6) REGNANTE DOMINO 7) ALARICO 8) REGE, ORDINANTE VIRO ILLUSTRI GOIARICO 9) COMITE. EXEMPLAR AUCTORITATIS.

COMMONITORIUM TIMOTHEO 10) V. S. COMITI.

1) Habetur Commonitorium in viginti et quinque codicibus: quorum quinque pertinent ad codices primae classis Breviarii Alariciani: Reg. Par. 4404, 4405, 4406, 399[b] (olim Sorbonnae 336) et partim cod. Ottob. 2225; novem ad codices secundae classis: Montispes. H. 136, Reg. Par. 4408, 4410 et Suppl. Lat. 779, Ambros. C. 276, Lugd. Bat. 47, Kelleri, Berolinensis et partim cod. Reg. Par. 4409; undecim ad epitomen, quam edid. Aegidius: Reg. Par. 4409, 4416, 4417, 4626, 4633, 4696, Lugd. Bat. 114, 119, S. Gall. 729, Cod. Alexandr. 991, S. Pauli in Carinthia. Editionum novem praecipue nominandae sunt: a) initio Summarum sive Argumentorum Legum edit. a Petro Aegidio s. l. a. 1517, fol.; b) initio Cod. Theodosiani Par. 1550, 8. (ed. Tilius); c) initio Cod. Theodosiani Lugd. 1566, fol. (ed. Cuiacius); d) initio Cod. Theodosiani Aurelianae Allobrogum 1586, (Lugd. 1593) 4.; e) initio Cod. Theodosiani Paris. 1586 (1607), fol. (ed. Cuiacius); f) initio Cod. Theodosiani Lugd. 1665 fol. (cura Ritteri Lips. 1736, fol.); g) in Collectione Conciliorum Galliae Paris. 1789, fol. (cur. Labat.) col. 689, 690; h) in Iure Civili Anteiustinianeo Berol. 1815, 8. Tom. I. p. 277 (ed. Beck.); i) in libro, cui inscribitur: Geschichte des römischen Rechts im Mittelalter von Friedrich Carl von Savigny. T. II. ed. I. Heidelberg 1816 p. 37 sqq., ed. II. ibid. 1834 p. 38 sqq. Reliquae editiones factae sunt ad hanc illam priorum editionum. Caroli de Savigny l. c. sententia est, tribus prioribus editionibus parandis tres diversos codices adhibitos esse et tertiae quidem editioni Ranconeti codicem (cf. Cuiac. praef. ad Paulum Paris. 1558, 4. et Schulting. p. 189); praeterea in quarta editione tertiae codicem videri accuratius collatum esse; Gothofredum autem nullo codice usum. Ipse ille ad manum habuit superiores editiones, sed in secunda libri sui editione tres codices adhibuit: Ambrosianum, S. Pauli et Ottobonianum supra nominatos. Iam ego profero diversitates scripturae ex omnibus, quos enumeravi codicibus et ex editionibus, ita tamen brevitatis studiosus, ut codices primae et secundae classis iisdem numeris, quibus in C. Th. editione a me designati sunt, hic quoque designentur, codices autem Summae Aegidianae literis α — γ, ε — μ indicentur. In ipsa Breviarii editione numeri illi necessario mutandi sunt et per totum librum continuo referendi. Commentarium doctissime, ut solet, scripsit Car. de Savigny l. c. p. 40 — 44 (ed. I.) et p. 41 — 45 (ed. II.). 2) Ita (s. *Autoritas*) 11, 27, 29, 37, 38, 43, 54, α — γ, ε — μ, Aeg.; sed in plerisque illorum codicum praemittuntur nonnulla verba. Nam codd. 27, 39, 43 sic incip.: *In Christi Nomine Incipit Liber Legum A. A. R.*; α, β, η — ι, μ, Aeg.: *In Christi Nomine Incipit Praefatio Legum Romanarum* (h. v. deest in codd. η, ϑ, alii ut μ habent *Romanorum*) *A. Alarici Regis* (μ *Salarici*) et add. in nonn. codd. v. *feliciter* aut et *feliciter*. Solus codex ζ *In Xpi Nomine Incipit Liber Legum Auctoritas Alarici Regis ob Aniano collecta.* Cod. 24 *In Hoc Corpore Continetur Tota Lex Romana. Incipit Ex Corpore Theodosiani Commonitorium Adnepoti* (sic!) *Amen.* γ *In Christi Nomine Incipit Liber Legis Auctoritatis Alarici Regis.* Til. *Alarici Gotthorum regis praefatio ἀνεπίγραφος, quam praeposuerat breviario Theod. Cod.* Cui. 1566. Aur. Lugd. Go. et Be. om. *A. Al. R.* Cui. 1586. Lab. pro his habent *Incipit Lex Romana.* Ritterus *Habes hic L. B. Exemplar auctoritatis, quam Alaricus Rex Compilationi Legum suarum praefixit.* Sav. *Alarici Regis Exemplar Auctoritatis.* 3) Seqq. usque *ad V. S. comiti* des. in omnibus fere codicibus et ap. Til. Primum edita sunt in Cui. 1566 e codice Ranconeti. Inventa sunt a me in sex tantum codicibus 10, 18, 27, 39, 43, 44, sed in codd. 27, 39, 43, 44 non solum des. vv. *Exemplar auctoritatis — V. S. comiti*, verum etiam reliqua omnia posita sunt in extremo Commonitorio post vv. *poena constringat.* *) 27 *leges s. mores.* Car. de Savigny l. c. p. 44, not. 30 (ed. I.), p. 46, not. *b* (ed. II.). 4) 10 *vel de div.* 27, 39, 43 *vel diversis.* 5) 10, 27, 39, 43 *vel sicut.* 44 *edictae vel sicut.* 6) 27, 39, 43, 44 *explanari anno XXI.* et 44 *regni.* 7) 10 *domno.* 39, 43, 44 om. *dom.* 8) 39, 43, 44 *Alarici* et om. *rege.* 27 *Alarici.* 9) 10, 18 *inlustre* et 18 *Goriarico.* 27. 39, 43 *vir inluster Gotharico comite.* (Seqq. sunt etiam in cod. 44.) *Feliciter Explt. Tituli Legum Ex Corpore Theodosiani Explanati* (43 om. *Expl.*). 10) 10 *Timotheo Spectabili Comiti.*

Utilitates[11]) populi nostri propitia divinitate[12]) tractantes hoc quoque, quod in legibus videbatur iniquum[13]), meliori deliberatione corrigimus[14]), ut omnis legum Romanarum[15]) et antiqui iuris obscuritas, adhibitis[16]) sacerdotibus ac nobilibus viris[17]), in lucem[18]) intelligentiae melioris deducta resplendeat, et nihil habeatur ambiguum[19]), unde se diuturna aut diversa iurgantium[20]) impugnet obiectio. Quibus omnibus enucleatis[21]) atque in unum[22]) librum prudentium[23]) electione collectis[24]), haec, quae[25]) excerpta sunt[26]) vel clariori interpretatione composita, venerabilium[27]) episcoporum vel electorum provincialium nostrorum roboravit[28]) assensus. Et ideo[29]) subscriptum librum, qui in tabulis habetur collectus[30]), Goiarico comiti[31]) pro distringendis[32]) negotiis nostra iussit clementia destinari, ut iuxta eius[33] seriem universa caussarum sopiatur intentio: nec aliud cuilibet[34]) aut de[35]) legibus aut de iure liceat in disceptationem proponere[36]), nisi quod directi[37]) libri et subscripti viri[38]) spectabilis Aniani manu[39]), sicut iussimus, ordo complectitur[40]). Providere ergo te convenit, ut in foro tuo nulla alia lex neque iuris formula proferri vel[41]) recipi[42]) praesumatur. Quod si factum fortasse[43]) constiterit, aut ad periculum[44]) capitis tui aut ad dispendium tuarum pertinere[45]) noveris facultatum. Hanc vero praeceptionem directis libris iussimus adhaerere[46]), ut universos ordinationis nostrae et disciplina teneat et poena con-

11) Multi codd. *Utilitatis.* 38, ζ *Utilitas populi* et coniuncta sunt haec vv. cum antecedd. *In Christi — Alarici Regis Feliciter* in cod. ζ. Cod. ι *Utilitatem.* 27 *Utilitatis est.* 44 *Utilitates.* 12) γ *devitate.* μ *divitatem.* ζ *pr. addivinitate.* 13) 11, Cui. 1586 *in iure habebatur iniquum.* 9 *in iure habebantur i. meliora.* 29, 37, 38 *in iure habeatur iniq. meliore.* 24 *vid. esse iniquum.* μ *vid. in mulieri deliberationem.* 14) 18 *correximus;* alii *corregimus, corregemur.* Mox nonn. codd. *omnes*, ut Til., aut *omne.* 15) 38, ε, μ *Romanorum.* γ, κ *legum Novellarum.* 16) μ *antiqua iuret obsc. acbitis.* 38 *iuri.* 11, 29 *adebitis.* 18 *adhibitas.* 38 *adeditis.* Vid. supra not. *. Mox nonn. codd. *hac* pro *ac.* 17) Aeg. et nonn. codd. Summae Aeg. om. *viris.* 18) 24 *in legem.* 19) Haec vv. des. ap. Be. 11 *quod et nuper habebatur ambiguum;* ita etiam 29, 37, 38, sed om. v. *quod.* μ *habeat ambuguum.* Antea ε *deducata.* 20) γ, ϑ, κ *iurgantia.* Nonn. codd. *impugnat.* 21) 9 *involutis.* 11, 29, 37, 38 *inoblegatis.* Ceterum 38 *hominibus inobl.* 24 *quibus annibus enucl.* 22) ι *in hunc librum.* 23) Codd. epitom. Aeg. et Aeg. *prudentius.* μ *elationem.* 24 *electionem.* 24) γ *adlectis.* ι *collegimus.* Nonn. codd. *collectus.* 25) Aeg. *nec quae.* ι *haec quoque quae.* 26) 11, 29, 37, 38 *scripta sunt.* γ, ε — ι *excepta sunt* (ι *et cl.*). μ *exercita sunt.* 11 om. *vel.* Mox multi codd. *clariore*, alii *interpretationem.* 27) Aeg. et nonn. codd. eiusd. epit. *venerabili.* 28) Aeg. *roboraverit.* 38, ι, μ *rob. absensus.* Cf. ad h. l. Car. de Savigny l. c. p. 41, not. 21 (I. ed.), p. 42, not. *b.* (II. ed.) 29) In codd. 9 — 11, 24, 29, 37, 38 add. *secundum.* Ceterum 9 *secundum scriptum.* In cod. 38 om. *librum* post *subscr.* 30) 9 — 11, 18, 24, 27, 29, 37 — 39, 43, 44, α — γ, ζ — μ *qui* (24 *quae*) *in thesauris nostris* (37 *vestris.* 27, 39, 43, 44 et codd. epit. Aeg. om. *nostris*) *habetur oblatus* aut *oblatū.* (37 *oblatos.* λ *oblatum.* ε *qui in sacris habentur obl.*) In 9—11 29, 37, 38, α, ε, η, ϑ, ι post *oblatus* add. *librum* et in cod. 24 *librus.* Aeg. *qui in thesauris habetur, oblatū Goiarici.* Vid. not. 32. Mihi videtur *thesauris* vera scriptura. 31) 9 — 11, 18, 24, 27, 29, 37 — 39, 43, 44 *tibi* pro *Goiarico comiti.* μ *eo arici.* (Sav. *Eoarico.*) ϑ *Gogariaco comitis.* Nonn. codd. *comite.* α *comites.* V. *tibi*, modo id recte se habet, referendum est ad Timotheum. 32) 9 *discingendis.* 10, 18, 24 *distinguendis.* 11, 29, 37, 38, ι *discutiendis* s. *discutientis.* β *distr. necessariis nostrae.* Totus locus ita legitur in m. Cui. 1566 *in thesauris nostris habetur oblatū tibi pro;* in m. Anr. Lugd., Go. *qui in thesauris nostris habetur oblatum tibi pro* et in m. Cui. 1586 *qui in thesauris nostris habetur oblatū tibi pro discutiendis.* 33) ϑ, κ add. *ordinem longissimum.* 24 *nostras i. destinare* (*destinare* complures codd.) *et iuxta.* Mox nonn. codd. *sapiatur.* 44, Aeg. et codd. epit. Aeg. *universarum*, sed η om. *universarum — aliud.* 34) 9 — 11, 18, 24, 27, 29, 38, 39, 43, Aeg. et eius epit. codd. *cuicunque*, sed ϑ *sapiatur int. Ut nullus contra alium iudicet legem. Nec aliud cuicunque.* μ *aliut cūque.* In cod. 37 inde a v. *cuicunque* tritura pars reliqua Commonitorii periit. 35) Nonn. codd. om. *de.* μ *leg. audeiuret lic.* Vid. supra not. *. 36) Nonn. codd. *disceptatione.* 18 *deceptatione.* Alii codd. *proponi.* μ *disceptationem ponere.* Aeg. *disceptatione praeponere.* 37) 11, 29, 38 *relicti.* μ *recti.* η, ϑ, ι *directo libro.* 38) α, γ, ε, ζ, η, κ, λ, μ *suprascripti v.* γ, κ *suprascripti libri.* Aeg. β, ϑ, ι *infrascripti.* 39) Multi codd. *exspectabilis* et *Anniani.* 24 *subscriptionem v. illustris Aniani.* 38 *manus.* Cf. Car. de Savigny l. c. p. 42, not. 25 (ed. I.), p. 43, not. *f* (ed. II.). 40) 9 *complectetur.* μ *compleatur.* Mox nonn. codd. om. *te.* 41) 38 *proferre aut.* ε *p̄ferri.* Nonn. codd. *prof. aut rec.* Vid. supra not. *. 42) Nonn. codd. *recipe* s. *recepi.* ε *praesumebatur.* 43) 10 *Q. fact. fort. si.* 11 *Quod si facti forte.* 18 *Q. factum si f.* α *forsitasse.* γ *forsitan.* 44) 9 *tum ad per.* 24 *ut ad per.* ϑ *aut de periculo et* η *capitis sui.* 11 om. *ad* post *aut.* 45) *pertinere* add. in codd. 10, 18, 24; deest in rell. codd. et in edd. Mox μ *praeceptio nec*, alii codd. *praeceptione.* 46) Restitui *adhaerere* ex codd., quorum nullus habet *cohaerere*, quod edd. proferunt; Aeg. nobis assentitur. κ om. *adhaerere.* Nonn. codd. *universis, universus, constringit, constringet.* 24 *Hanc ergo p̄ceptionis directi libri secuti iussimus adhaerere ut universus ordinatione n. e. d. teniat et poena.*

PROLOGUS BREVIARII INEDITI QUOD FECIT MONACHUS IGNOTUS*).

Quisquis oportuna vacatione minime perfruitur aut capacitate sensus vel prudentia plene imbutus non invenitur, ut iura librorum[1]), id est leges Romanorum plenissime perscrutentur[2]), hoc quod a nobis parvum[3]) volumen, quasi de magnis silvis surculum absciasum videtur integre perlegi non aborreat[4]), et videbitur[5]) sibi non parvum in huius operis brevitatis[6]) inesse compendium, dum sublatis pragmaticis vel longissimis assertiunibus et[7]) tamen omnes eorum[8]) definiciones in hac nostra reperiantur scedula. Volumus etiam omnia capitula legis huius integra admonitiona contexere, ut si qua[9]) aliqua requirenda sunt, absque mora de hoc Breviario*) nostro possis[10]) in auctorem volum̄ transire[11]). Dignum videtur, ut hoc[12]) nostra exemplaria quasi edita subolis suae matris[13]) imitetur: Et si cui haec forte, quae a nobis sunt quasi inchiridium adstricta, displicuerint[14]), aut ad plenissimum iuris[15]) convertat laborem, aut si excerpta ei placuerint ipse propria manu ut liber[16]) adscribat et tunc[17]) nobis inputet inprudenter et in vacuum[18]) laborasse, cum ipse ex suo labore confecerit[19]). Et tamen ego non ingenii mei fretus[20]) aut temeritate propria haec scribenda arripui, sed obedientiam abbatis mei[21]) obsecutus etsi ignaviter, tamen ut potui adimplere curavi.

*) Pro *Auctoritate Alarici Regis* posuit Monachus hunc Prologum, de quo cf. Car. de Savigny l. c. p. 59, not. 56 (ed. I.), p. 61, not. *f* (ed. II.). Eum Gothofredus edidit in Proleg. C. Th. p. CXCIV. (Ritter p. CCXXIV.) et partim descripserunt ex Go. Conradi in Parerg. p. 100, Spangenberg in libro, cui inscribitur: Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft, T. V. p. 293. Exstat prologus in solo cod. Reg. Par. 4419, quo an Go. usus sit, iure dubitari potest, propter magnam diversitatem scripturae. Quum idem Breviarium habeatur in codd. Reg. Par. 4403b et Phillippico 1735 (olim Claramontano), fortasse Go. — codicem alterutrum adhibuit, illa aetate integrum, nostra mutilum ab initio. 1) Go. *Romanorum*. 2) Go. *perscrutetur*. 3) Go. *plenum*. 4) Go. *absc*. (om. *videtur*) *integre perlegere non abhorreat*. 5) Go. *videbit*, recte. 6) Go. *brevitate*, recte. Spangenb. om. *inesse*, err. 7) Go. om. *et*, recte. 8) Go. *earum*. Idem mox *schedula*. 9) Go. *quando*. *) Car. de Savigny l. c. p. 44, not. 23 (I. ed.), p. 45, not. *i* (ed. II.). 10) Spangenb. *possis nostro*, err. 11) Go. *voluminis tr.* Hucusque Conradi et Spangenb. 12) Go. *haec*, recte. 13) Go. *ut haec n. e. q. e. suboles suam matrem*, recte. 14) Go. *in enchiridium adscripta, displiceant*. 15) Go. add. *se*. 16) Go. *ut libet*, recte. 17) Go. *et hoc*. 18) Go. *in vanum*, recte. 19) Go. *conferet*. 20) Go. *et tamen nec ego ingenii vi fretus*. 21) Go. *obedientia abbati meo*.

EPITOME INEDITA COD. REG. PAR. SUPPL. LAT. 215*).

In Nomine Sanctae Trinitatis. Incip̄. Scaedule Legis Romana, quae ideo Scintilla vocatur, quia sicut modeca scintilla legis ignis lumen magnum nutrita ministrat, ita haec diligentius perscrutata multam intellegentiam legentibus praebet. Est enim capitolatio declarata, causas ostendens sub titulo*).

*) Sequitur continuo cod. Theodosianus, omisso Commonitorio.

stringat[47]). *Anianus vir spectabilis*[48]) *ex praeceptione D. N. gloriosissimi*[49]) *Alarici regis hunc codicem de Theodosiani*[50]) *legibus atque sententiis*[51]) *iuris vel diversis libris electum Aduris anno XXII. eo regnante edidi atque subscripsi.*[52]) *Recognovimus. Dat. sub die IV. Non. Feb. anno XXII. Alarici regis Tolosae. Et iterum anno XX. regnante Karolo, rege Francorum et Longobardorum, et patricio Romanorum.*

47) Subscriptio deest in codd. 11, 24, 37, 39, 43, 44, pars autem subscriptionis usque ad v. *Recognovimus* in codd. 9, 29, 38 et usque ad v. *electum* in codd. 10, 18; extrema denique pars subscr. inde a vv. *Et iterum* ap. Til. Aeg. et in omnibus codicibus. Vid. not. 52. Dicendum est praeterea hanc subscr. solam, reliquis omm., in tribus codicibus haberi in fine totius Breviarii Alar., in cod. 17 post enumerationem regum Francorum, in cod. 23 et in cod. Phill. 1735, in quo est breviarium monachi nescio cuius ineditum. Eodem loco invenit Sirmondus (Opp. T. IV. p. 266) hanc subscr. in duobus codicibus, in suo quidem et in codice, quem dicit Reg. Bibl. 1097 fuisse. In cod. ι subscriptio praeposita est ipsis Commonitorii vv. statim post vv. *In Christi nomine — Alarici Regis.* Vid. supra not. 3 et Car. de Savigny l. c. p. 39, not. 19, p. 43, not. 26 (I. ed.), et p. 41, not. *v*, et p. 44, not. *g* (II. ed.) et praeterea p. 40, not. 20, p. 42, not. 22 (ed. I.), p. 41, not. *a*, p. 42, not. c (II. ed.). 48) 17, 28 *scolasticus*; in m. Aur. Lugd. *exspectabilis.* 49) Til. om. *D. N. gloriosissimi.* Aeg. eiusque epit. codd. (om. *D. N.*) *gloriosi*, sed β om. *gloriosi.* Ceterum ε *exceptione* et μ *exceptionem.* Seqq. ita scripta sunt ap. Sirmond. *regis Alarici, ordinante viro magnifico et illustri Goiarico comite hunc codicem legum secundum Authenticum subscriptum vel in thesauris editum subscripsi et edidi sub die III. Non. Febr. a. XXII. regnante dom. nostro Alarico rege.* Similiter codd. 17 et 28, sed tamen his diversitatibus *regis — legum iuris s. auth. scriptum* (28, 1735 *subscriptum*) *v. in th. traditum s. et dedi sub die* (sec. Sav. 17 om. *sub die* 1735 om. III.) *IV Nonas* etc. 1735 om. *regnante.* Idem *Alarici regis Deo Gracias Amen.* 50) κ *teodosianis.* 51) α, β, Aeg. *speciebus*; reli. codd. epit. Aeg. *species*, praeter γ, qui *specie.* Mox θ *electus.* Vid. supra not. *. 52) κ, Aeg. Lugd. *edidit atque subscripsit.* Seqq. des. in codd. epit. Aeg., ap. Aeg. Til., sed add. in nonn. codd. *explicit* aut, ut in codd. λ, μ, *explicit praefatio.* Denique pro tota subscr. haec sola vv. ponuntur in codd. 9, 10, 18, 29, 38 et in cod. 9 quidam *Dat. s. die III Nonas Februarias anno XXII tholose regnante alarico rege*; in codd. 10, 18 *Recognovim. Dat. IV. Non. Febr. anno XX scdo Alarici Regis Tolosae*; in 29 *Dat. sub die IV. Non. Febr. anno XXII regnante Alarici rege Tolose. Expl.* et in cod. 38 *Dat. — Alaricis* (om. *regis*) *Tolosa. Explicit Commonitorius.* Car. de Savigny l. c. p. 41, not. 23 (ed. I.), p. 42, not. *d* (ed. II.). Ergo vv. *Et iterum — Romanorum* des. in omnibus, quos vidi codicibus et in edd. Aeg. Til. Lab., et desideratur adhuc Rauconeti codex.

INCIPIUNT TITULI (CAPITULA) DE LIBRO LEGUM EXPLANATI.

INCIPIUNT TITULI (CAPITULA) DE LIBRO PRIMO THEODOSII (EX CORPORE THEODOSIANI) EXPLANATI.[1])

LIBER I.

Tit. I. De constitutionibus principum et edictis, hoc est, si auctoritas fuerit prolata, sub die et consule sit; — hoc est, ut quaecunque leges sine die et consule fuerint prolatae, non valeant[2]).

— II. De diversis rescriptis, hoc est, ut falsa suggestio non valeat[3]); — hoc est, si auctoritas fuerit prolata et causa non dicatur, non valeat.

— III. De mandatis principum, hoc est, si aliquis cum mandatis dominorum se asserat venire secretis, nemini[4]) quicquam credatur, nisi certis scriptis probaverit esse credendum[5]).

— IV. De responsis prudentum, hoc est, quorum iuris conditorum leges datae valeant[6]).

— V. De officio praefectorum praetorio, hoc est, ut contra iudicium quis non facile veniat; — hoc est, ut c. i. q. n. facile, id est leve non veniat. Quod si fecerit, medietatem bonorum eius fiscus habeat[7]).

— VI. De officio rectoris provinciae, hoc est, ut caussas publice discutiant[8]).

— VII. De officio iudicum civilium, hoc est, ut honorati ex curiae corpore, si in lite sunt constituti, cum iudice non resideant, nec litigatores iudicem meridianis horis salutent[9]).

— VIII. De officio iudicum militarium, hoc est, ut nulli in civilibus caussis militaris tuitio[10]) vel exsecutio deputetur[11]).

— IX. De officio iudicum omnium, hoc est, ne matronam vel pupillos sive aegrotos per exsecutionem abstrahi liceat[12]).

— X. De defensoribus civitatum, hoc est, ut sine electione civium nemo ordinetur et nemo innocentem condemnare aut verberare praesumat[13]).

— XI. De assessoribus, domesticis et cancellariis, hoc est, ut quaecunque militans acquisierit sibi extra partem vindicet et ut nullus iudicum de alia provincia cancellarium sibi coniungat[14]); — id est, ut quicunque m. a. s. e. p. vindicet. Hic et de rapina dicit[15]).

EXPLICIUNT TITULI (CAPITULA) LIBRI PRIMI.

1) Explanationis titulorum, cuius specimen hic editur, duae sunt classes, quarum neutra edita est. Primae classis est, quam exhibent codices Reg. Par. 4409, 4412, 4414, 4415, Ambros. C. 276, Bernensis, Vat. Reg. Suec. 1048, Montispes. H. 136; alterius codd. Reg. Par. 4403, 4404, 4405, 4410, Vat. Alex. 982, Car. de Savigny. Neque tamen omnibus titulis duplex explanatio adscripta est, neque librarii ubique sibi constant. Nam sicut tituli sunt, a quibus omnis explanatio abest, ita alii unam tantum aut non eius classis explanationem habent, ad quam codex pertinet; alii haud raro eiusdem classis explanationem magna diversitate continent. Ab utraque classe hic illic differt cod. Reg. Suppl. Lat. 215, ex quo tertiam classem constituissem, si discrepantia crebrior esset. Omnis autem illa explanationum diversitas exinde nata est, quod multae earum, mutatis mutandis, formatae sunt ex Interpretationis verbis, aliae maxime secundae classis fictae ab ipsis explanatoribus, sed habita ratione tituli aut legis, denique nonnunquam adhibita est illa epitome legis Romanae Visigothorum, quae ab editore nomen Summa Aegidiana ducit. Quod ad verba attinet, quae a librariis explanationibus praefixa sunt, ea quae supra edidi, plerisque communia sunt, etsi in nonnullis nihil dicitur, nisi: *Incipiunt Capitula s. Tituli*, aut *Incipiunt Capitula s. Tituli Theodosiani*; inscribitur etiam, ut in Cod. Reg. Par. Suppl. Lat. 215 *Capitula ex Lege Romana*. In edenda explanatione id consilii sequar, ut eam, quae primae classis sit, primo loco ponam, alteram secundo loco, singularum deinde explanationum fontem, ubi fieri potest, indicem, denique diversitatem scripturae sed graviorem tantummodo in annotatione describam, quum, ut omnem nominem, non magni sit momenti. Ut vero explanationem, quam primo loco posui, primae classi tribuerem, id caussae fuit, quod crebrior et uberior est explanatione secundae classis, quae in compluribus titulis desideratur, sed, ut plerumque brevior, prima antiquior videtur esse. — Car. de Savigny l. c. p. 54, not. *a* (ed. II.). 2) Interpr. c. 1 h. t. 3) Interpr. c. 3 (C. Th. c. 6) h. t. 4) Expl. II. cl. *minime*. 5) Interpr. c. un. h. t. 6) Interpr. c. un. (C. Th. c. 3) h. t. Cf. Summa Aegid. In nonn. codd. ex Interpr. add. *Papiani Paulli — Marcelli*. 7) Interpr. c. un. (C. Th. c. 3) h. t. 8) Summa Aeg. 9) Interpr. c. un. h. t. 10) Nonn. codd. *militare studium*. 11) Interpr. c. un. h. t. 12) Interpr. c. 1 et 2 h. t. Summa Aeg. 13) Interpr. c. 1 et 2 h. t. 14) Interpr. c. 2 et 3 h. t. Summa Aeg. 15) Ex cod. Reg. Par. Suppl. Lat. 215.

LEX ROM. VISIG.

Tit. XIX[1]. *(Lib. III.)*

3. *Idem A. Felici.* Quoniam per negligentiam seu proditionem tutorum et curatorum possessiones iuris emphyteutici, vitio intercedente commissi, e minorum fortunis avelluntur, placet, ut tutor curatorve, cuius officio manente possessio minoris iuris emphyteutici praerogativam, commissi offensa, perdiderit, tantum de facultatibus propriis, censura imminente, minoribus restituat, quanto rem valere potuisse constabit. *Dat. XIV. Kal. Maii Constantinopoli, Dalmatio et Zenophilo Coss.* (333).

INTERPRETATIO. *Si forte cesserit, ut minores possessionem iuris emphyteutici, hoc est, quod ex fisci bonis parentes eorum habere meruerant, sub qualibet praestatione tenuerint, et hoc per negligentiam sive proditionem tutoris aut imminutum fuerit aut certe sublatum, quicquid perierit, a tutore vel curatore esse reddendum.*

4. *Impp. Arcadius et Honorius AA. Eutychiano Pf. P.* Tutores eodem momento, quo fuerint ordinati, mox adeant cognitores, ut praesentibus primatibus, defensore, officiis etiam publicis, inventario solenniter facto, omne aurum argentumque, et quicquid vetustate temporis non

1) Anteriorum fontium nullus a me nominabitur, nisi is, quo usi sunt Visigothi, contra non omittam indicare, si qui locus Br. Al. in posteriores fontes transiit. Editiones non commemorabo, modo ne ex interiectis titulis aut legibus diversitas numerorum nata sit. — c. 3. C. Th. c. ? W. H. c. 5. Integra cum interpr. exstat in codd. 6 — 10, 12 — 19, 21. Omnia praeter interpr. des. in codd. 26, 37; inscr. et textus in codd. 24, 30 — 35, 39, 43, 44; textus et subscr. in cod. 25; solus textus om. in codd. 27 — 29, 36, 38, 40, 42. — c. 4. C. Th. c. ? W. H. c. 6. Integra cum interpr. exstat in codd. 6 — 10, 12 — 14, 16 — 19, 21; omnia praeter interpr. des. in codd. 37, 46, 49; inscr. et textus in codd. 24, 30 — 32, 35, 39, 43, 44; subscr. et textus in cod. 25; solus textus om. in codd. 26 — 29, 33, 34, 36, 38, 40, 42; sola interpr. in cod. 15.

AEG.*)

Si per negligentiam tutoris possessio iuris emphyteutici minoribus aufertur[1], quicquid eis sublatum fuerit, a tutore reddendum est.

Ut tutor adhibitis bonis viris[2]) cum iudice quicquid invenit omnia describat. Si quid in pecunia vel argento invenerit sub sigillo recondat, mobilia vendat et aut agros comparet aut pecuniam servet[3]).

*) Car. de Savigny l. c. p. 57 (ed. I.), p. 59 (ed. II.). 1) γ *possessiones — auferuntur.* Aeg. *possessio — auferuntur.* 2) Aeg. *iuris.* 3) Aeg. *pecunia servetur.*

EPIT. LONGOBARD.*)

Item alia Interpr.[1]) Si ad illos[2]), qui in[3]) minore aetate sunt, aliquid de facultate aut quod eorum parentes habere debuerant[4]), si[5]) per negligentiam de suos tutores perdiderint, hoc totum sui tutores vel[6]) curatores de suo proprio eis reddant.

Item alia Interpr. Ubi tutores res parvulorum receperint ad gobernandum de omnem illorum facultatem scripta facta et salva ambas[7]) partes habere debent, quantum ipsi tutores reciperint et alia tale scripta rectores loci illius facere debent ad illos tutores, ut si talis res est, quae non

*) Car. de Savigny l. c. T. I. p. 363 sqq. T. II. p. 60 (ed. I.); T. I. p. 426 sqq. T. II. p. 61 (II. ed.). 1) Corruptelas huius epit. non sustuli, ne mutaretur indoles eius. Ex codd. et ex Canc. annotavi graviores tantummodo diversitates neque rationem habui Walteri editionis ex Canc. descriptae. 2) In cod. Piperino (s. Favariensi) add. *parvulos.* 3) Ex Piper. 4) S. Gall. *debuerint.* 5) Pip. add. *hoc.* 6) Canc. et et mox *reddat.* 7) S. Gall. Piper. *ambe.*

BREVIARIUM MONACHI *).	EPIT. COD. REG. PAR. SUPPL. LAT. 215.	EPIT. GUELFERBYT.*)	EPIT. COD. LUGD. 303.*)
	Deest.	III. Si rem fiscale, quam pater meruit, si minorem ablatū est, tutor de suo restituat.	
Si forte cesserit[1]), ut minores possessiones iuris emphyteutici[2]), hoc est, quod ex fisci bonis vel ecclesiae parentes eorum habuerunt aub qualibet praestatione et per negligentiam tutoris vel curatoris amiserint, ipsi de suis facultatibus restituant damna pupillorum.			III. Ut si per negligentiam tutoris minoribus, quod ex fisci bonis parentes eorum sub qualibet praestatione habere meruerant, imminutum aut sublatum fuerit, quicquid illis deperiit, quod iisdem tutor vel curator reddere debeat.
		IIII. Tutur electus inventarium facere et de rebus inventis quid agere debit ut usuram amplius proficiat.	IIII. Ut cum ad tutelam quis accesaerit continuo adbibitis cognitoribus e pupilli bonis inventarium conscribere debeat solenniter et quicquid in substantia pupilli vetustate non mutatur, iudicum vel senatorum vel officio-
		EXPLC. TEUD. LIB. III.	

*) Car. de Savigny l. c. p. 59 (ed. I.), p. 61 (II. ed.). 1) Cod. Reg. Par. 4419 *excesserit*. 2) Phill. 1735 *iuris hoc est beneficium, hoc est quod ex*. Cod. Reg. Par. 4403b consentit cum cod. 4419.

*) Neque huius epit. naevos tollere volui, praesertim cum eius unus tantum codex habeatur. Car. de Savigny l. c. T. II. p. 59 et T. IV. 471 (ed. I.), T. II. p. 60 (ed. II.).

*) Cf. ea, quae de hac epit. dixi in libro, cui inscr.: Zeitschrift für schichtliche Rechtswissenschaft, T. VIII. p. 361 sqq.

mutatur, si in pupilli substantia reperiatur, iudicum ac senatorum, officiorum etiam publicorum inustum signaculis, in tutissima, publicae auctoritate sententiae, sine spe aliqua usurarum, custodia collocetur; non prius qualibet occasione mutandum, quam adultus, legitimam ingressus aetatem, non tam litibus vacare incipiat, quam integro se mox gaudeat patrimonio restitutum. §. 1. Et quoniam etiam mediocris pensanda fortuna est, si cui forte in hereditate mobilia tantum, non etiam immobilia relinquantur, nec aliqui fundorum reditus supputentur, ex quibus vel familia pupilli sustentari valeat vel pupillus, ex mobilibus aut praedia idonea comparentur, aut, si forte, ut assolet, idonea non potuerint inveniri, iuxta antiqui iuris formam usurarum crescat accessio; ut et hic, unde fundorum reditus non sperantur, ex incremento rei mobilis minoris necessitas adiuvetur, et ibi sine periculo tutoris usurae penitus non petantur. *Dat. VI. Kal. Mart. Constantinopoli, Arcadio IV. et Honorio III. AA. Coss.* (396.)

Interpretatio. *Mox ad tutelam quis accesserit, adhibitis continuo primatibus civitatis vel defensore cum officio suo, suscepta pupilli bona facto rerum conscribat inventario: et si quid erit in pecunia vel argento, vel quae non possunt vetustate perire, praedictorum annulis obsignata reponat, et nulla occasione minuatur, neque id pupillo, dum in annis minoribus fuerit, pro litibus aut aliis caussis noverint committendum, sed usque ad perfectam aetatem omni integritate servetur: in reliquis rebus proficiente diligentia. Nam si minores eius sunt facultates, ut non sit patrimonium illis, et tantummodo substantia in rebus mobilibus invenitur, sciant tutores sibi esse permissum, ut vendere praesumant mobilia et agros comparare, ut minoribus in ea parte prospiciant; si vero non est eiusmodi substantia, unde praedium comparetur, hanc iubentur habere diligentiam, ut pecunia colligatur, et compendiis usurarum aut quibuslibet aliis rebus commodum pupillis acquirant; aut si forte tenuitas substantiae erit, exinde salva re pupillis substantia ministretur; et si ita egerint, a tutore pupillus non erit quaesiturus usuram.*

perit[8]), quod homo plurimum tempus servare possit, hoc est, quomodo de auro aut de argento talis pecunia omnia in unum collegatur et reponatur et de anulos ipsorum bonorum hominum aegelletur; ut nulla talis necessitas nec talis causa veniat, quod de hoc ipsi tutores expendere debeant; sed omnia salvum sit usque[9]) ad legitimum tempus etatis parvulorum. Nam quod si alia talis pecuniam mobilis est, quod[10]) sic servare homo non possit, ipsi tutores eam vendant[11]), et agros exinde ad ipsos parvulos comparent. Et quod si talis pecunia non est, unde hoc facere[12]) possint, in quantum est illud laborent et ipsos parvulos nutriant[13]) et sic eos gobernent, ut omnia sine ipsorum parvulorum damnum sit[14]), nec ipsi parvuli postea ad suos tutores de ipsa parva pecunia, unde eos vix nutrire possunt, usuras[15]) requirant.

EXPLICIT THEOD. LIB. III.

8) Canc. S. Gall. *qui n. perct.* 9) Canc. *ut, sed em. usque.* 10) Pip. *quem.* 11) Pip. *vendere debeant.* S. Gall. *vindant.* Mox Canr. *pecuniam.* 12) Pip. add. *non.* 13) Canc. *nutricant.* 14) Canc. *damnum. Sed.* Etiam Pip. *sed.* 15) Canc. S. Gall. add. *non.* S. Gall. *querant.*

BREVIARIUM MONACHI.	EPIT. COD. REG. PAR. SUPPL. LAT. 215.	EPIT. GUELFERBYT.	EPIT. COD. LUGD. 303.
			rum publicorum annulis obsignatum reponere usque ad pupilli perfectam aetatem; et si non sit patrimonium illis sed tantummodo substantia in rebus mobilibus, quod habet tutor potestatem mobilia eorum vendere agrosque eis exinde comparare etc.
Mox ad tutelam quis accesserit adbibitis primatibus civitatis et defensore pupilli bona conscribat inventario et pecuniam vel ea quae vetustate non pereunt, praedictorum annulis subsignata reponat, quae pro nulla causa minuantur, usque ad perfectam aetatem pupilli, in reliquis rebus proficiente diligentia. Nam si patrimonium illis non fuerit, substantia in rebus mobilibus, auctori permittitur vendere et agros comparare. Si vero non est eiusmodi substantia, pecunia colligatur et commodum pupillis adquirat. Si forte tenuitas substantiae erit, inde salva re pupillis substantia ministretur, et si ita egerint, a tutore pupillus non erit quaesiturus usuram. *Dat. VI. K. mar. arcadio IIII. et theodosio III. aa. Cons.*			

CODICIS THEODOSIANI
LIBER QUARTUS[1]).

1) Ap. Sich. sequitur iudex titulorum h. libri. Is raro in codicibus h. l. invenitur.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI IV.

I. De credicione vel bonorum possessione vel[1]) post mortem patris.
II. Unde liberi, item alia eiusdem.
III. De muliere si post mortem viri pregnans[2]) remanserit.
IIII. De testamentis et codecellis[3]).
V. De litigiosis.
VI. De naturalibus filiis et matribus eorum, id est de legitimis vel non legitimis.
VII. De manumissionibus in ecclesia[4]).
VIII. De liberali caussa.
VIIII. De his, qui a non domino[5]) manumissi sunt.
X. De libertis et eorum liberis[6]).
XI. De vectigalibus commissis.
XII. De re fiscale V annos possessa.
XIII. De re iudicata.
XIIII. De sententiis ex periculis recitandis[7]).
XV. De fructibus et lites expensis.
XVI. De usuris rei iudicatae.
XVII. De debito redicione.
XVIII. De res qui usque ad mortem suam tenet.
XVIIII. De vi iudicum[8]).
XX. Utrum vi[9]).

INCIPIT LIBER IV.

